# INCENTIVUM GAUDII NUPTIALIS,

QVOD

*Præclarâ eruditione, variâ experientiâ, & eximiâ virtute Vir maximè Spectabilis*

**Dn. ANTONIUS DONEPE,**

Regiæ Thorunensium civitati primarius â Secretis,

Cum

*Honestâ Pudicâque Matronâ*

**CATHARINA,**

*Viri olim integerrimi*

**Dn. Michaëlis Kronebergeri**

Civis ac Mercatoris in hâc urbe Thorunæâ quondam florentissimi relictâ viduâ adornavit

Et

Celebravit

*THORUNII Anno Gratiæ* CIↃ. IↃC. IL. *2. die Martij.*

---

Typis exprimebat MICHAEL KARNALL.

Cùm tenerâ pictus lanâ Tyrinthius Heros
A ſe calcandum mente referret iter:
Occurrit mulier; cûi turget venter obeſus,
Altiſonumq; caput ſydera celſa ferit.
Hæc ſplendet fuco, vultus levitate tumeſcit,
Et lentos format pava ſuperba gradus.
Sæpiùs hûc illûc ſua fulgida lumina mittit,
Seſe ſpectantes ardelioq; notat.
Illius veſtis retulit vel mille colores,
Ac eius variæ mentis imago fuit.
Hæc mulier juvenem tali ſermone tenebat:
Me ſeqvitor juvenis, deliciasq; meas!
Vix hæc abſolvit: Venit altera fœmina, cuius
Fulſit in ore rubor, fronte refulſit honos.
Splenduit ingenuo vultu, vultuq; ſereno,
Et par ingenio corporis augmen erat.
Laude replebat eam morum concinna venuſtas,
Ornatus pulcher lactea veſtis erat.
Jſta fuit virtus: Non hæc damnoſa voluptas
Dux, inqvit, tua ſit, me lege, magnus eris!
Quid juvenis perplexus ad hæc? Secede voluptas
Turpis, ait, virtus ſtrenua adeſto comes.
Herculis hoc qvondam fuerat mirabile fatum:
Aſt ſimili in bivio res Tua Sponſe jacet.

En u-

En utrumq; latus claudit Tibi fœmina bina;
	Utraque depoſcit Teq; Tuosq; lares.
Altera, qvæ piceo corpus velavit amictu,
	Et tremulo greſſu pallida membra movet.
Demittitq; caput, miſerè & diverberat illud,
	Cuius arat fuſcam pallida ruga cutem.
Hæc madido vultu titubans Tua limina calcat,
	Triſtia tecta vocat, pectora mœſta vocat.
Altera ſed venit candenti veſte decora,
	Vultus ei lætus, frons qvoq; læta micat.
Ac hilares oculi tremulo fulgore coruſcant,
	Et roſeis labris gratia blanda nitet.
Hæc cupit, ut placidas agitent nova gaudia mentes,
	Jn tectis eadem jubila læta cupit.
At bone utram tecto Tu Sponſe juvabis amœno?
	Læta mane, dicis, Triſtis abito foràs?
Reclamat triſtis; neſcis qvæ vulnera nuper
	Facta Tibi, cur non tecta ſubibo Tua?
Sancta Themis non vult, ut tangat Læta penates;
	Lætari prohibet, ſed lacrymare iubet.
Læta refert contrà, non eſt qvod pectora tundas:
	Efficit iſta Deus, qvi bona ſolus agit.
Quis placidum votis portum non optet amico,
	Undique qvem miſerum ſæva procella qvatit?
Quis non exultet, qvod in aulâ regnet amicus,
	Antea qvi mœſto carcere vinctus erat?

Tali

Tali successu cùm nunc Tua Filia regnet,
Non est qvod vultum rore rigare velis.
Quid qvod sarcitur damnum ? Catharinula namq;
Amissa est, supplet sed CATHARINA locum;
Hæc perturbatæ reddet solatia menti,
Et Rebecca velut gaudia blanda feret.
Ergò mordaces procul hinc depelle dolores,
Erectos vultûs flagitat hæcce dies.
Hæc viduum reparat sociali compare lectum,
Cur igitur nolis jubila læta dare?
Fœdera conjugii Sponse hæc iterata secundi
Vt dici possint vincla secunda precor.
Utq; secunda precor, sic & fœcunda precabor,
Sit sine lite domus, nec sine prole torus.
Sic fœcundus erit thalamus, sic Sponse secundus,
Utq; secundus erit, sicq; beatus erit.

*Sic incitabat & vovebat*

Michaël Schelleberger Th. Bor.